



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Contemplatio VII. De Mundi Loco.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

Romanus, qui pascet oves in multis tribulationibus, quibus transactis civitas Septicollis diruetur, & Iudex tremendus iudicabit populum. Ita hæc Prophetia. Sed his omiſſis dicamus cum æterna veritate: *De die autem illo & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum.* Matth. 24.

CONTEMPLATIO VII.

De Mundi Loco.

Vacuum ex Arist. 4. Phys. est locus carens corpore, aptus tamen repleri: ita si in dolio nec esset vinum, nec aër, aut aliud corpus, daretur vacuum. Ubi vides juxta hanc definitionem ad vacuum duo requiri, nempe positivum aliquid, seu corpus aptum ambire aliud, & negationem corporis in eo contenti; unde extra cælum Empyreum, ubi nullum est corpus, dicunt, non dari propriè vacuum, sed inane tantum, seu vacuitatem. Si vacuum sit amplum, dicitur coacervatum; si modicum & insensibile, dicitur vacuolum. Non dari vacuum coacervatum in natura, conveniunt omnes; tum quia nullum habemus illius indicium, tum quia natura exigit, ut omnes illius partes sint connexæ, ut fiat totum aliquod perfectum, in quo fieri possit inter partes communicatio; quod fieri non posset, si per vacuum coacervatum disjungerentur. De Vacuolis jam egimus Cont. 2. ubi de Atomistarum principiis, & Contempl. 4. ubi de rarefactione: de metu vacui agemus Contempl. 9. Nunc de loco, qui, uti tempus, dividitur in extrinsecum & intrinsecum, primus ambit rem locatam; alter in re, quam locat, recipitur.

C A P U T I.

De Loco extrinsecò & intrinsecò.

Locus extrinsecus definitur ab Arist. *Superficies corporis ambientis prima & immobilis.* Dicitur 1. Superficies, hoc est, pars extrema corporis alicujus, v. g. aquæ, quæ piscem intra se natantem undique secus ambit, sicut vas ambit liquorem contentum: unde dicitur 2. corporis ambientis seu continentis aliud, & non contenti, aliàs pelles animalium essent eorum locus extrinsecus. Dicitur 3. prima, hoc est, immediata & proximè tangens locatum, ut nempe locus proprius & verus cujuslibet rei distinguatur à communi, nam v. g. templum est locus communis plurium, non tamen cujusque proprius. Dicitur 4. Immobilis, quia superficies illa immediata, ut talis consideratur.

Hinc sequitur 1. aliquid posse moveri, quin mutet locum extrinsecum: ut quando dolium vino plenum transfertur, tunc vinum non mutat locum extrinsecum, sed duntaxat intrinsecum, licet dolium ipsum mutet locum extrinsecum. 2. Aliquid potest mutare locum extrinsecum, quin moveatur: sic rupes in medio fluvio, licet immota, mutat perpetuò locum extrinsecum, eò quòd aqua rupem ambiens semper circumfluat alia. 3. Potest aliquid existere, quin sit in loco extrinsecò: sic existit mundus, si sumatur totus per modum unius, quia ultra cælum empyreum non est aliud corpus ambiens, sed sola im-

men-

mensitas Dei, in qua continentur omnia : sine loco tamen intrinseco existere non potest ; sicuti enim non potest aliquid existere, quod sit nunquam : ita nec dari potest aliquid, quod sit nusquam.

Quæres, quid sint spatia imaginaria ? Resp. idem cum proportionem dicendum, quod de tempore imaginario : nam hæc spatia sunt merum nihilum, quod nobis representamus per modum tenebrarum in infinitum diffusarum ultra superficiem cæli empyrei ; in quo nihilo, si Deus vellet, posset ubicationes & spatia realia producere, quanquam proprie loquendo non produceret ista in nihilo, sed in seipso ex nihilo.

Quæres igitur 2. an Deus sit in spatiis imaginariis ? Resp. affirmative, quia per hoc nihil aliud intelligimus, quam Deum habere actu immensitatem æquivalentem omni ubicationi possibili, semper magis & magis distanti in infinitum : quod ostenditur ex SS. Literis, S.S. PP. & ratione. Sic, ut alia omittam, Jobi 11. dicitur Deus *Excelsior cælo* : & quem *cælum & cæli cælorum capere nequeunt*. 2. Paral. 2. Unde S. Aug. lib. 7. Conf. c. 5. sibi universam creaturam imaginabatur veluti spongiam, magnam quidem, finitam tamen ; Deum verò usquequaque infinitum, spongiam hanc ex omni parte ambientem & penetrantem veluti mare immensum, illam implens, & undiqueversum in infinitum circa illam diffusum. Unde quærentibus, ubinam Deus fuerit ante mundi creationem, aut ubinam esset, si mundus destrueretur ? Resp. Thomas de Argentina, quòd Deus esset, ubi est, nempe in seipso ubique, quod his versibus explicat : *Dic, ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset : tunc ubi nunc in se, quoniam sibi sufficit ipse.*

Præter locum extrinsecum datur etiam intrinsecus, seu ubicatio, quæ est aliquid positivum, tam rei locatæ, quam loco extrinseco superadditum, quod probatur iisdem rationibus ac duratio. Imprimis enim, etsi tolleretur omnis locus extrinsecus, si tamen Deus me conservaret, adhuc existerem alicubi, & responderem certæ virtualitati immensitatis Divinæ : ergo haberem aliquod ubi, seu ubicationem. 2. Hoc ubi non est mihi identificatum, cum sim indifferens, ut sim hic vel alibi. 3. Neque hæc indifferentia tollitur per locum extrinsecum, quia etiam hoc posito, v.g. hoc cubiculo, adhuc sum indifferens, ut in illo existam vel in alio. Neque videtur, convenientius explicari, quam si dicatur, esse entitatem modalem, quæ hanc tollat indifferentiam. Sed hic iterum rem dicis incredibilem esse, nec tibi persuadere potes tantam durationum & ubicationum multitudinem, quæ continuè semper & ubique producuntur. Id ego tibi non verto in malam partem, modò afferas aliquid melius, quod rem clarius explicet, & omnem tollat difficultatem. Dicunt quidem aliqui, has esse meas relationes ad locum vicinum aut remotum : sed hæc sunt mera verba, quæ rem non explicant : nam Petrus non habet relationem essentialem ad aliquem locum aut tempus : ergo aliquid superveniat necesse est, ut fiat hæc aut illa relatio ; aliàs daretur nova denominatio sine nova forma. Si dicas, esse actionem rei productivam, dicis quidem aliquid, sed aliis difficultatibus te implicas : nam hæc actio dat esse rei, non locum aut tempus ; vel si affixa sit loco & tempori, actio vitalis, cæteris omnibus omnino paribus, alia esset hoc, alia in illo loco vel tempore, alius amor Dei hesternâ, alius diversus hodierna die, imò intra brevissimum tempus centies millies mutaretur. Sed non vacat his immorari. Plura vide, ubi de motu.

CAPUT II.

De Ente locato.

§. I.

An duo entia possint simul esse in eodem loco?

DE ente non quanto difficultas esse non potest: imprimis enim de spiritua-
libus extra dubium videtur, quod possint eundem locum cum alio ente,
tam spiritali, quam corporeo occupare, & simul penetrari: sic anima nostra
penetratur cum corpore, habitus supernaturales cum anima, Angeli inter se &
cum aliis, ut Legio Dæmonum in obsessio, & omnia cum Deo. Imò omnes for-
mæ substantiales etiam materiales cum materia, & accidentales cum substantia
penetrantur, ut patet in anima brutorum, in unione, in sensationibus, & aliis
formis, tam modalibus quam absolutis. Unde quæstio solum est de corporibus
quantitativis.

Dicendum 1. Duo corpora non possunt naturaliter penetrari & esse in eo-
dem loco. Prob. 1. ab experientia, qua semper videmus, unum corpus aliud
expellere, antequam illius locum occupet: ergo censendum est, hoc naturali-
ter fieri necessarium. Prob. 2. ratione, quia omnia corpora sunt quanta: atqui
quantitas est radix impenetrationis: ergo omnia corpora exigunt impenetra-
tionem, consequenter absque miraculo penetrari non possunt. Prob. 3. ex
fine, quia hoc erat necessarium ad bonum istius universi; qualis enim fieret in
rerum natura confusio, si navis in medio mari cum aqua penetraretur, si malleus
fabri cum incude, si fur ingredi posset januis clausis? unde videmus, per
nullam vim penetrationem hanc obtineri posse; potius enim diffiliunt & ever-
tuntur omnia, quam ut vel latum unguem penetrentur: ut patet, tum ex per-
cussionibus validissimis, tum ex pulveris pyrii incensione, turres evertentis.

Dices tamen 1. Vitrum est unus locus; vinum & aqua possunt esse in uno
vitro: ergo possunt esse in uno loco. 2. Vas calidis cineribus plenum mul-
tam adhuc capit aquam: ergo hæc naturaliter penetratur cum cinere. 3. Si in
cyathum aqua plenum aliquot aurei modeste immittantur, aqua non effluit. 4.
Resistentia corporum relatè ad penetrationem non est infinita: ergo poterit
saltem ab Angelo superari. 5. Vas æneum aqua plenum, & hermeticè clau-
sum contundatur, aqua inclusa minus spatium occupat: ergo ejusdem partes pe-
netrantur.

Resp. ad 1. Vinum & aquam esse in vitro tanquam in loco communi: pro-
prium autem habent singula utriusque partes. Ad 2. dico, inter cineres cali-
dos plurimum intercipi aërem cum igniculis, qui affusa aqua expellitur, & in-
ter cinerum meatus locum relinquit aqua. Ad 3. patet hoc fieri sine penetra-
tione, cum aqua supra poculi labrum intumescat, si illud non sit madefactum,
eo ferè modo, quo aqua guttae in loco sicco & pulverulento conglobantur pro-
pter aliquam aqua tenacitatem, & coherentiam partium, quæ si madefaciendo
labrum dirumpatur, illico effluit aqua. Ad 4. ne. conseq. Nec enim posset
Angelus hanc superare, quam per impetûs impressionem; constat autem per
validissimos impetus corpora non penetrari. Ad 5. Consule, quæ dicta sunt
de rarefactione & condensatione.

Dicen-

Dicendum 2. Supernaturaliter tamen corporum penetratio non repugnat. Prob. quia in hoc nulla ostenditur contradictio; nam essentia quantitatis non est actualis impenetratio, sed ut sit exigiva impenetrationis: potest autem Deus in rerum naturalium exigentis dispensare. Sic contra naturalem exigentiam ignis tres pueri fuerunt in fornace Babylonica servati: nec minus certum est, id in corporibus quantis contigisse: Sic constat, corpus Christi intemerato Virginis Matris utero, & postea clauso sepulchro exivisse, penetrasse item clausis januis ad discipulos, quæ ulterius confirmantur ex mysterio Eucharistiæ; ut proinde conclusio hæc à Catholico negari non possit. Si dicas cum Cartesio: Natura materiæ & quantitatis est, ut sit extensa, & habeat partem extra partem: ergo nec divinitus potest dari penetratio, cum Deus rerum essentias mutare non possit. R. dist. ant. est habere partem extra partem actu, ne. aptitudine & exigentia naturaliter insuperabili, con. ant. & ne. conseq.

§. II.

*An idem ens possit per replicationem simul esse
in duobus locis?*

Advertendum prius, rem dupliciter posse in loco existere, circumscriptivè scilicet, & definitivè. Priori modo res contingit, cum corpus aliquod realiter divisibile secundum se totum respondet toti spatio occupato, & singulæ partes corporis singulis partibus spatii continentis. Sic quilibet nostrum respondet toti spatio ipsum continenti, & hujus spatii aliam partem implet caput, aliam humeri &c. Definitivè autem existit in loco res indivisibilis, ut spiritus, qui est totus in toto spatio, & totus in qualibet parte spatii, ut est anima rationalis in corpore. Ad hunc existendi modum revocatur modus existendi corporis Christi sacramentaliter in Eucharistia.

Dicendum 1. Idem ens non potest esse naturaliter in pluribus locis discretis & non continuis. Prob. 1. ab experientia, qua videmus, nullam rem ad alium locum pergere, quin deserat priorem. 2. à fine, malè enim consultum esset huic universo, si res possent seipsas replicare, v. g. si monstra in Africa se possent replicare in Europa. 3. ratione, quia sicut de ratione entis illimitati est esse ubique, ita ens limitatum ex se alligatur uni tantum loco.

Dicendum 2. Potest idem corpus de potentia absoluta esse in pluribus locis definitivè, aut in uno circumscriptivè, & aliis definitivè. Ita Catholici omnes quoad rem; cum id pateat in Eucharistia, ubi corpus Christi Domini per orbem Christianum existit in pluribus hostiis sacramentaliter & definitivè, & in cælo circumscriptivè. Ratio ulterior est; quia sicut res potest existere in diversis temporibus, ita & in diversis locis, & in hoc nulla ostenditur contradictio; nam vanis Hæreticorum argumentis jam antecederet responderi potest, quod in re simili dixit S. Aug. lib. 22. de Civ. Dei c. 11. *Ecce qualibus argumentis Omnipotentie Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.*

Dicendum 3. Potest etiam probabilius de potentia absoluta idem corpus esse in pluribus locis circumscriptivè. ita communior contra Thomistas. Probatur: Ubique Deus potest ponere corpus modo minimè naturali, poterit à fortiori illud ponere modo magis naturali; atque stante circumscriptiva præsentia corporis Christi Domini in cælo, potest illud ipsum Deus ponere alibi sub præ-

præsentia definitiva, quæ minimè naturalis est materiæ : ergo à fortiori sub circumscriptiva, quæ naturalis est ; prior enim modus involvit duo miracula, posterior duntaxat unum. Conf. quia hæc sententia videtur magis consentanea SS. Litteris, & menti Patrum, ac Ecclesiæ. Nam etsi Christus non deserat cælum, usque dum inde veniat judicare vivos & mortuos, legitur tamen apparuisse sapius in terris sub ubicatione circumscriptiva, uti Saulo dicens : *Ego sum JESUS, quem tu persequeris.* In Hist. Eccles. dicitur etiam apparuisse Petro ; & hujusmodi apparitiones leguntur frequenter in aliis historiis fide dignissimis. Idem habetur de pluribus Sanctis, qui simul visi sunt in duobus locis : talis fuit replicatio S. Antonii Patavini, talis S. Franc. Xaverii, qui simul visus est in navi & in scapha per vim tempestatis longius abstracta, tales sunt aliæ multæ. Quis jam omnes hujusmodi historias neget? aut dicat, hæc fuisse duntaxat sensuum ludibria, aut hæc omnia facta fuisse per Angelos? cum tamen in historiis legatur, Christum ipsum & Sanctos apparuisse, & nomine suo locutos esse. Majus certè miraculum quilibet Catholicus in Evcharistia fateri debet.

§. III.

Quænam Replicationem consequantur?

Dicendum 1. Quoties subjectum aut alterum extremum ponitur simul in pluribus locis, illud connaturaliter comitantur illa omnia, quæ ipsi physice uniuntur, & non sunt affixa certo loco. Ratio est, quia per unionem subjectum accipit quasi possessionem suorum accidentium, & exigit ea secum habere, quæ ipsi unita sunt; Deus autem etiam in miraculis, nisi specialis interveniat finis, aut ratio miracula multiplicandi, agit secundum rerum exigentias, & connaturaliter operatur, quantum patitur ratio miraculi. Et hæc doctrina aperte colligitur ex Conc. Frid. sess. 13. ubi docet, licet sub speciebus panis vi verborum ponatur solum corpus Christi, per concomitantiam tamen, & ob connexionem, quam cum corpore Christi habent, poni etiam sub iisdem speciebus animam ac sanguinem &c. Hinc ajunt communiter, quod si quis in triduo mortis consecrasset, ille sub specie panis solum corpus, sub specie vini solum sanguinem posuisset : nunc autem postquam Christus resurrexit à mortuis, ubi hæc omnia inter se copulantur, unum sine alio non ponitur.

Dicendum 2. De potentia tamen absoluta non repugnat ex duobus extremis unitis alterum replicari non replicato altero v.g. non implicat replicari corpus Petri, non replicata ejus anima, quia in hoc nulla apparent contradictoria.

Dicendum 3. Enti replicato possunt convenire prædicata opposita & incompatibilia in eodem loco, si prædicata ab ubicationibus pendeant, & oppositio fundetur unice in loco & spatio. Quod ut intelligatur, distinguenda sunt duplicis generis prædicata : aliqua enim formaliter appellant locum & situm, ut moveri & quiescere, stare & sedere &c. alia ex conceptu suo abstrahunt à loco & ubicatione, ut calere, frigere, amare, odisse, &c. Unde in hac conclusione dicimus, posse hominem replicatum diversa prioris generis prædicata suscipere, ita ut in uno loco stediat, in altero sedeat, in uno habeat caput in altum, in alio pedes &c. similiter ut idem dolium replicatum plus liquoris contineat, quam non replicatum, ut in uno loco repleti possit vino, in alio aqua, quia nempe capacitas ista major vel minor solum provenit à magnitudine aut parvitate

rate spatii; cum ergo dolium replicatum occupet majus spatium, evadit etiam capacius. Ratio conclusionis est, quia cum hujusmodi prædicata opposita fundentur tantum in ubicationibus, & istæ sint diversæ & distinctæ, poterunt sine contradictione talia prædicata recipere. Quod patet ulterius in Christo Domino, qui in cælo extensus est, non item in Evcharistia; quia nempe in uno loco habet ubicationem definitivam, in alio circumscriptivam. Item in anima rationali, quæ cum locetur in spatio divisibili, potest in una manu moveri sursum, in altera deorsum.

Dicendum 4. Prædicata pugnancia quoad subiectum, & non præcisè quoad locum, æquè parum convenire possunt enti replicato, quàm non replicato. Unde 1. si in eodem subiecto duo contraria, v. g. summus calor & summum frigus, naturaliter conjungi non possint; nec poterunt in hujusmodi subiecto replicato connaturaliter, & vi solius replicationis conjungi. 2. si tamen possint in subiecto non replicato conjungi supernaturaliter, poterunt etiam eodem modo conjungi in replicato. 3. Si verò nec de potentia absoluta in subiecto non replicato conjungi possint, uti est amor & odium DEI, consensus & dissensus circa eandem rem &c. etiam supernaturaliter fieri non poterit, quantumvis subiectum replicetur. Conclusio hæc videtur ex terminis convenientior, quàm opposita, quæ dicit eundem hominem posse in uno loco peccare, in altero bene agere, esse hic Deo gratum, alibi ingratum &c. Ratio ulterior est, quia per replicationem non tollitur contrarietas talium accidentium, nec duplicatur subiectum: ergo tam parum poterunt esse in eodem subiecto replicato, quàm non replicato.

Dicendum 5. Agens replicatum, nisi Deus dando novum *ubi*, novas etiam addat vires, non potest plus, quàm non replicatum, nisi ratione applicationis. Patet ex dictis, quia replicatio per se non auget vires, sæpius tamen agens melius applicat. Hinc autem inferitur 1. hominem replicatum non esse fortio-rem, facilius tamen posse hostem vincere, quia ipsum potest aggredi à fronte & à tergo. 2. Posse quidem in duplici loco comedere, non tamen plus, quia per cibum in uno loco etiam saturatur in alio, ut patet ex concl. 1. 3. Sicut in uno loco non potest spectare comædiam, & attentè studere, ita nec in diversis. 4. Posset tamen homo replicatus à pluribus videri, quia pluribus applicatur, ex qua præsentia sequitur reflexio lucis, aut productio specierum in oculis intuentium, sine defatigatione aut reactione corporis replicati. 5. Homo replicatus, etsi plura posset objecta videre, non tamen omnia semper distinctissimè, quia tandem in retina tot concurrerent, ut visio fieret confusa. Uno verbo illa potest homo replicatus, quæ sequuntur ex multiplicitate ubicationis, non tamen potest ea, quæ supponunt multiplicitem subiecti.

§. IV.

Difficultates Contrariæ.

PRImam sic proponit Albertinus quidam Calv. lib. 1. cap. 26. si idem corpus esset simul Lugduni & Rotomagi, tunc distaret à seipso, sicut distant hujusmodi civitates, posset ad seipsum accedere, esset Lugduni simul actu & potentia &c. in quo argumento ita sibi complacet homo hæreticus, ut mox subjungat, se non concipere, quid ad hoc responderi possit. Resp. tamen, difficultatem

S

non

non esse tantam, quantam sibi fingit Albertinus, modò distinguat ubicationem à re ubicata, & sciat plurima hujusmodi prædicata non convenire, nisi rebus distinctis. Imprimis enim, quòd civitas Rotomagensis distet à Lugdunensi, clarum est, sunt enim duæ res distinctæ habentes ubicationes remotas; at quomodo corpus ubicatum Rotomagi potest distare Lugduno, aut à seipso Lugduni, cum illud ipsum Lugduni sit? Ubicationes quidem ejusdem corporis distant inter se, at non corpus, quod est idem. 2. Accedere si propriè loquamur, est transire de loco, in quo sum, ad locum, in quo non sum, ut fiam propior alteri: si verò ipsissimus Ego jam sim Lugduni, quomodo fiet talis accessus? poterit quidem dari alia ubicatio propior, sed non alter Ego. 3. Si sum actu Lugduni, non possum ibidem esse potentiâ, nisi quatenus possum in alio civitatis angulo habere ubicationem aliam, loco ubicationis Rotomagensis. Sic licet anima sit in capite, quod distat à pede, non tamen distat à se, aut accedit ad se. In his non potest esse quæstio, nisi de nomine: rem intellige, & loquere prout placuerit.

Altera difficultas sic proponitur ab aliis: si Petrus Monachii replicatus sentiret calorem ignis sibi Romæ applicati, tunc ignis Romanus ageret in distans; hoc fieri non potest: ergo. Resp. ne. maj. si enim Petrus est Romæ, ignis non agit in distans: quòd autem calor & sensatio hîc Monachii replicetur, id non facit ignis Romanus, sed Deus, qui Petrum replicat cum accidentibus sibi unitis. Sic etiam corpus Christi, quod est Monachii, comedunt Romani, quin agant in distans.

3. Implicat contradictionem, ut pars sit æqualis toti; talis autem æqualitas in replicatione contingeret; semi-palmus enim replicatus æqualis est palmo: ergo. Resp. imprimis sequi exinde, impossibilem esse penetrationem, in qua similiter palmus redactus ad semi-palmum æqualis esset semi-palmo; unde si ex hoc capite negetur replicatio circumscriptiva, neganda etiam erit penetratio, quod saltem Thomistæ non faciunt. Resp. igitur pro utrisque, ne. mi. prob. dist. Semi-palmus replicatus esset æqualis palmo ratione suæ entitatis, ne. ratione ubicationum, majorisque extensionis & spatii, quod occupat, con. Quid mirum si alteri ex duobus civibus plures accedant divitiæ, & dein tot habeat solus, quot priùs uterque? Sicut enim semi-palmus per motum successivè majus spatium occupat, quàm palmus quiescens; ita etiam majus occupat sæpius replicatus.

4. Si idem homo motibus contrariis sibi per ubicationes propiores quodammodo obviàm procederet, quid tunc fieret? an penetraretur? Resp. non penetratum iri; quia nunquam eædem partes conjungerentur, nam oculus dexter responderet sinistro &c. Quòd si supponas unicum punctum replicatum, dico, nec tunc fieri penetrationem, quia vel DEUS conservaret illius ubicationem contiguam, & tunc esset in duplici loco: vel non conservaret, & tunc non regrederetur in seipsum, cum non possit habere duplicem ubicationem ejusdem classis; sed tunc existeret per unicam ubicationem sine penetratione, quæ saltem duo supponit.

5. Posita replicatione posset Petrus in uno loco occidi & mori, & in alio vivere: ergo esset vivus & mortuus, quod implicat. Resp. nunquam posse simul esse vivum & mortuum: ut enim moriatur Petrus, debet destrui ejus unio per cessationem ab actione ejus conservativa; quod si fiat, nusquam potest existere unio, consequenter nec Petrus vivere. Quod si alicubi existat hæc unio & actio, Petrus non erit mortuus, sed ibidem vivet, licet non vivat alibi. Con-

nati-

naturaliter autem destrueretur hæc unio, si Petrus transfoderetur in eo loco, in quo habet ubi naturale: in eo autem, in quo habet ubi miraculosum, vel non penetraret gladius, quia non posset ubicationes partium corporis miraculosas mutare; vel Deus tantum cessaret à conservatione, non unionis, sed illius ubicationis. Quid autem fieret, si pereunte ubicatione unionis, aut etiam animæ, Deus adhuc conservaret Romæ ubicationem corporis Petri Monachii existentis? illud corpus essetne animatum, vel inanimatum? Resp. esse quæstionem de voce, in qua melius loquuntur, qui dicunt, esse animatum; quia unitam sibi habet animam, non quidem Romæ, sed Monachii.

Explicatis jam mundi, generatim sumpti ordine, principiis, causis, agendi modis, atque proprietatibus, ad singulas illius partes descendendum, progrediendo à superioribus ad inferiora, ab inanimatis ad animata.

CONTEMPLATIO VIII.

De Mundo Cælesti.

Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum, inquit Propheta Regius Psal. 18. in his enim præ reliquis Divinitatis elucet radius, ubi suam quasi sedem fixit Divina majestas; ut proinde Aristoteles non dubitavit asserere, minimam cælorum notitiam omnem rerum inferiorum cognitionem antecellere, & hinc etiam merito generosus quidam terrenæ vanitatis Contemptor exclamavit: *Quàm sordet terra, dum cælum aspicio!* Igitur nos quoque, quibus Deus dedit erectos ad sidera vultus, amotis tantisper à terra oculis, externam cælestis nostræ Patriæ faciem contemplabimur, ut inde magis illius inhabitandæ in nobis ardeat desiderium, magisque in Dei laudem & amorem feramur semper. Hic statim recolenda sunt ea, quæ de sphaera mundi diximus Contempl. 1. cap. 4. & 5. Nunc de reliquis, quantum instituti nostri ratio exigit.

CAPUT I.

De Systemate Pythagorico, & Cælis in genere.

Systema hoc in dispositione partium Mundi omnium ferè antiquorum fuit, èstque simplicissimum. Terram enim in centro firmamenti constituit: supra globum terraqueum statim occurrit atmosphæra terræ seu aër crassior, variis vaporibus & exhalationibus permixtus, ubi colliguntur nubes, emicant fulgura, erumpunt fulmina, &c. Supra hanc collocat sphaeram ignis; quia nempe putabant antiqui, ignis utpote levioris sedem propriam esse super aërem nostrum, sicut reliquorum elementorum, aquæ nempe & terræ, utpote graviorum sedes est infra aërem. Supra ignem ponebant cælum Lunæ, dein cælum Mercurii, tum Veneris, dein Solis, Martis, Jovis, Saturni, ac denique cælum stellarum seu firmamentum, quibus aliqui addebant ultimo loco primum mobile. Systema hoc valde esset facile, modò verum: sed omnino falsa est hæc orbium concentricitas; deprehensum enim est ab Astronomis, planetas subinde esse